

Laurentius Eckhorst


Oratio Alexandri Magni ex Curt. I. 8. c. 2. v. 3-9. diducta quam Sub Divini Numinis Praesidio Et Dirigente Dn. Theodoro Grussenbergio, Huius Lycei Rectore dignissimo, Praeceptore ac Fautore plurimum venerado in ... Wismariae, memoriter recitavit Laurentius Eckhorst, Sverinensis, Die 29. Augusti Anno M. DC. XCI. horis locoq[ue] consuetis

Sverini: Schröderi, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746890141>


Druck Freier  Zugang





MK-13396. (1)





Inhalt:

- Crudopius, De laude historiarum. Oratio hab. in schol. Wism. 1624.
Lippius, De „praeceptoris publici conditione.“ „ „ „ 1677.
Grussenberg. et Eckhorst, Oratio Alexandri Magni ex Curt. 8,2 diducta. 1692.
Reimerus, Primitiae Wism. h. e. orationes II. 1723.
Schomerus, De varia Augustanae conf. fortuna. 1730.
Nitte, De mentis humanae divinandae facultate. 1744.
Schomerus, De optimo principe. 1744.
Rönberg, Ven. Gedenken von den Ursachen der Elektrizität. 1746.
„ „ Ausmessung der Faeser. 1747.
Nitte, „ Rom. VIII, 18. 22. 1751.
Denso, De deteriore schol. conditione. 1754.
„ „ Ankündigung einer feierl. Kuldigungs Rede. 1754.
„ „ Cato scenis non-agitandus. 1758.
„ „ Von den alten Deutschen. 1768.
„ „ (Carmen invitativum) 1765.
„ „ (Carmen memor.) 1774.
Einladungsprogramm. 1799.
„ 1801. (Groth, Verbindung der Bürger- u. gelehr. Schulen.)
„ 1804.
„ 1805.
„ 1809.
„ 1810.
„ 1814.
„ 1817. (Groth, Luther über Erziehung.)
Crain, Carmen saeculare. 1817.
„ 1818.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

ORATIO
ALEXAN-
DRI MAGNI

ex

Curt. l. 8. c. 2. v. 3-9.

diducta

quam

SUB DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO

ET

DIRIGENTE

DN. THEODORO GRUS-
SENBERGIO,

Hujus Lycæi RECTORE dignissimo, Præceptore ac Fautore
plurimum venerando

in

SUMMORUM VIRORUM. CONSESSU

WISMARIÆ,

memoriter recitavit.

LAURENTIUS ECKHORST,

SVERINENSIS,


Die 29. Augusti Anno M. DC. XCI.

horis loceq; consvetis.

SVERINI,

Typis PETRI SCHRÖDERI, Anno 1692.

Ge. Doct. Seimwedel.



VIRIS
MAGNIFICIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS

D N.

NICOLAO
HENRICO BUNSOVIO,

D N.


MATTHÆO
PETRO BURMEISTERO,

Jctis atqve Politicis celeberrimis nec non intimis in-
clytæ Reip. Patriæ Sverinensis CONSILIARIIS
eminentissimis


ut &

Reliquis DN. DN. CONSILIARIIS
Gravissimis, Excellentissimis

Dominis Mœcenatibus, Patronis, Fautoribus ac Euergetis, multis
nominibus honorandis ac serviti, cultu colendis, suspicien-
dis, venerandis!



GENEROSI, NOBILISSIMI ET CON-
SULTISSIMI DOMINI.



Appellant ad Excellam & Dominationes Vestras hæc pagellæ, non victricem causam impetraturæ, non Jus & Justitiam petituræ, sed gratiam sed benevolentiam sibi & mihi conciliaturæ, neque Judices sed Patronos exposcunt. Longius vero hic repetere causas, cur Vobis, Amplissimi Consultissimique Viri, hoc, quicquid est, exercitii Scholastici inscripserim, ut supersedeam, Vestra gratia mihi id licere persuasum habeo. Vestram enim humanitatem & propensum in me animum ut ingenue expendo, ita me Vobis plurimum debere, haud invitus agnosco. Sane facit hæc ipsa singularis vestra humanitas, ut omnino confidam, id in argumentum cultus fideique erga vos meæ benigne admissum iri. Nam de cætero augusta Nominum Vestrorum auctoritas non adeo mihi ignota est, & facile inde ab hoc meo proposito quidem dimoveri passus fuisset, nisi jam dudum edoctus, Vos existere Tales, qui judicium non tantum gravissimorum Vices explere, sed & Mæcenates agere, bonis favere, virtuti & eruditioni litantes amare, discendique cupidis benè velle consueveritis. In laudes vestras nihil addo, quas nec hujus paginæ angustia capit, nec, quæ meæ in dicendo, vires assequi possunt. Quod si tamen intellexero, hoc studiorum genus non in totum vobis displicere, erit fortasse, ut aliquando, Deo adnitente, Gloriæ Vestræ, quæ jam ob dignitatis eminentiam & spectatam maximarum rerum tractationem meritumque in Patriam magnitudinem excelso atque illustri loco sita est, digno-

digniori argumento & ego litare possim. Atque dum ad hoc me vigilantissimâ curâ compono, quod magnis Nominibus Vestris nunc dictatum est, sereno vultu & benevolo accipiatis quæso, meque non ex merito meo, quod nullum est, sed ex Virtute & Bonitate Vestra, quam incassum implorari non finitis, adeoque ex gratia censeatis talem, qui Clientibus vestris adscribatur. Quod si feceritis, id serio me facturum spondeo, ut intelligatis, Vos nec indigno, nec ingrato Patronos extitisse. Valet interim Divinæ per indefessam Bonorum Angelorum custodiam protectioni sanctè commendati

WISMARIÆ die 2.
Septembr. Anno
1691.

Excell:º

&

Dominationibus vestris

Observantissimus & Devotissimus
C. Liens

LAURENTIUS ECKHORST.

I. N. 7.
O R A T I O
ALEXANDRI MAGNI

Curt. l. 8. c. 2. v. 3-9.

per

Profopopœiam repræsentata.

GENEROSI , MAGNIFICI,
NOBILISSIMI , CONSULTISSIMI,

PLUR : REVERENDI , AMPLISSIMI , PRU-
DENTISSIMI , CLARISSIMIQ;

V I R I .

Patroni & Mœcenates obsequentissimè
venerandi;

Fautores & Præceptores observantissimè
colendi,

Adolescentes item ornatissimi , Condiscipuli
carissimi.



Fore Liberi Patris aspersus , iraque incensus , quam
multa admittat facinora , quorum magnitudinem
postquam gravatam ebrietate mentem quies reddi-
dit , accuratiore animi trutina omnia ponderando , se-
ra æstimatione , dolore ac pœnitentia persequitur , Oratione
ALEXANDRI , ebrietate discussa , post Clytum interfectum
a se habiti , prolixius sum declaraturus . Antè vero quam enu-
cleabo hanc materiam , fateor atque etiam profiteor & præme-
fero , me non satis commode , neque satis graviter , neque satis
libere facere verba posse . Nam commoditati ingenium , gra-
vitati ætas , libertati honestatis limites sunt impedimento . Huc
accedit summus timor , quem mihi natura & Vestra Dignitas ,
B quæ

ORATIO ALEXANDRI MAGNI

quæ in Vobis tanta est, quanta in Tantis Viris esse debet, & pudor meus tribuit. Quapropter vestra benignitatis aura, Auditores summopere suspiciendi, omnibus expetitur votis quam impetranti erit quod mihi gratuler; qua vero deficiente, sed reprimam me, neque committam, ut malè meis votis ominari videar. Vestram interim benevolentiam, quam mihi alias ex hoc loco dicenti haud denegastis, mihi, extrema jam verba peroraturus sic quoque polliceor, ut cursum orationis inchoatum flamine benevolæ attentionis nec non favoris vestri Zephyro afflare ac dirigere ne dedignemini. Liceat ergo velut alteri ALEXANDRO sic incipere.

Quid agitis amici? Siccine manus meas, Clyti cædem in hoc vestibulo jam jam perpetratam severe ulcisci cupientes retinetis? Cur justissimæ sententiæ, quam ipse de me fero, non acceditis? Cur non permittitis ut hoc ferrum Clyti visceribus contaminatum, meo quoque cruore imbuatur? Quid de ejus salute solliciti estis, qui ne amicissimi quidem vitæ pepercit? Mittite me, neque amplius prohibete, quo minus is, qui regalem cœnam & convivium innocentis sanguine implevit, ipse sanguine suo Regiam nunc impleat. Facinora non tantum eorum sunt, qui committunt, sed & eorum qui approbant, nec is solum se reum facit, qui peragit, sed etiam qui non punit. Ideoque famæ potius Vestræ & Justitiæ, quam lenitati & placendi studio consulite, magis, quid dignum Vobis in vindicando, quam qualis sit, qui peccavit perpendite.

Scio equidem hanc ALEXANDRI hastam, vel ipsam quoque mortem gratam & acceptam non nemini reddere posse; sed eam ipsam ob causam postulo, ne hoc, quicquid est honoris, penitentiam meam detrahatis.

Moriendum est, & quidem ea manu, quæ execrabile modo parricidium commisit; honestiorem vitæ exitum non invenio! Sin id per vos non licet, ipsi ferrum in me stringite. Ultionem vestram mea culpa satis purgabit. Secus si feceritis, vereor, ne vestra

ORATIO ALEXANDRI MAGNI

ne Vestra Vobis misericordia in summam tandem cedat perniciem. Ita enim cum his, quibus sceleris data est venia, comparatum est, ut malint videri injuriam accepisse, quam vitam; potius de suo cogitant periculo, quam de aliorum beneficio. Quibus semel ignovimus semper nobis possunt nocere, nos non semper possumus ignoscere. Quare in suo quisque vitio plestatur. Id multorum salus exigit. Recte facta præmiis, honore, splendore, reverentia, obedientia decorentur: Vitia vero, in quocumque reperiantur damnis, ignominiiis, morte ipsa mulcentur.

Sed Regis forte nomen vos terret? Etiam in hos Justitia exercenda est. Principum peccatis tunc amplius ignoscendum non est, cum hoc ipso tantum eorum furor alitur, & ad maleficia multo alacriores impunitate futuri sunt. Regem profiteri, cum sit maleficus, neminem supplicio debet eximere.

Impune quælibet facere, id non est Regem esse. Solum nomen ad commendationem Regalis Imperii nihil addit, neque hoc titulo quisquam dignus, nisi qui virtute & clementia cæteris omnibus longe antecellat. Nemo Tyrannum, nisi qui communis Patriæ hostis esse velit, Regem putet.

Ego postquam verborum licentiam, quæ vino imputari debebat, nefanda cæde ultus, CLYTUM, egregium bello Virum interemi, postquam partem quasi viscerum meorum mihi abrupi, verbo dicam, postquam ex Rege hostis & percussor factus, me Regem esse amplius non agnosco, à fidelitatis & obsequii sacramento cunctos absolvo, præter mortem nihil expetō. Hanc promptis animis & gladiis inferte, nec sævitæ maculam pertimescite. Nemini sententia vestra crudelis videbitur. Remissione pœnæ crudeles & immites magis in Patriam, in vosmet ipsos eritis, quam severitate animadversionis in me nimis vehementes. Quid enim acerbum aut grave, nimis in tanti facinoris reum decerni potest? Nullum satis dignum supplicii genus in eum consumitur, qui omnem erga alios misericordiam consumpsit, qui Servatori suo mortem intulit.

Beneficium

ORATIO ALEXANDRI MAGNI,

Beneficium in me collatum existimabo, cum turpissimæ vitæ finem imponetis. In vita plus erit pœnæ, quam in morte. Liberali enim indole prædito longe intolerabilius est, erubescere, pudere & perpetuo ignominia sensu langvescere & macerari, quam corporis pœnam luere. Supplicium meum oblivio sequetur: si intempestiva vero misericordia incolumem servaveritis, tamdiu publicum & detestabile vestrae clementiæ exemplum ero, quousque Spiritus meos reget artus. Tollatur ergo è mortalium cœtu, qui ob flagitia honestè vivere non potest, & facturus forte pejora, quam quæ jam commisit, quo uno modo potest, malus esse desinat. Rabidos effugimus canes; truces & indomitas cædimus feras; portentosos extingvimus fœtus; Liberos ipsos, si monstrosi sunt, tollimus: cur regis monstrum, cujus feritate nihil terribilius, aut truculentius, cujus aversus & inexorabilis animus scelera sceleribus contextit, non coerceamus?

An quoties delirare mihi libet, tot fortissimi Viri ne hiscere quidem audeant? An stolido, impio, furenti, bonis omnibus perniciem machinanti, non obstabunt, aut obviam ibunt, ne divina atque humana omnia pervertantur, ne cædes & parricidia per omnes Regni fines grassentur? Vilis hæc foret patientia, vestra origine eaque libertate, quam communis Græciæ consensus introduxit, indignissima. Neque enim persuasum mihi habeo, Vos amore servitutis usque eò deperiisse, ut contra inhumanam crudelitatem implacabilē sævitiam meam, nullum in legibus, nullum in natura ipsa præsidium salutis aut perflugium reliquum vobis esse volueritis. Nulla unquam gens ab omni spe & consilio adeo fuit derelicta, ut durissimam hanc legem in se atque liberos suos ultro admitteret, neque Dii universo humano generi tam infensi, ut necessitatem hanc invitis imponerent, eodemque, quo bruta & quæque animalia loco, & numero

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

numero mortales haberent. Ostendite ullam vel naturæ vel naturalis Justitiæ regulam, quæ oporteat, minores Reos puniri, REGES & omnium malorum PRINCIPES impunitos esse, quin inter maxima flagitia, coli, adorari & Deo proximos haberi? In libertate estis nati, vobis sufficitis, tot Gentium victores estis, quas velitis Leges recipere vestri est arbitrii: Unam præ cæteris colite antiquissimam à naturâ ipsa datam, quæ omnes leges, Jus omne, atque imperium non ad Regum libidinem sed ad subditorum maxime salutem refert. Nulla beneficia, etiamsi cælum magnitudine attingant, tantum apud Vos valeant, ut hoc naturæ jus violari & aboleri patiamini. Quæ in Regibus Vestris sanari possunt, quacunqve ratione emendate, quæ refecanda erunt, non finite in perniciem gentis permanere. Non satis amant bonos Principes, qui malos non satis oderint.

Est quidem Regum inviolabilis sanctitas & divinitus eorum constituta Majestas, à cunctis gentibus summo honoris cultu semper observata & venerata, quæ DEOS præsidēs ultoresque habet, sed eo magis providendum est, ne quid virtute & fastigio Principali indignum in vita & moribus appareat, quo verenda illa Amplitudo, quam DEUS summæ fortunæ cum nota & pignore suæ in res humanas curæ & tanquam characterem, ac imaginem suæ Majestatis impressit, minuatur. Parva etiam vitia in Regibus magis elucent, nihil tectum, nihil occultum patitur magna fortuna, non modo domos sed cubicula ipsa, intimosque secessus recludit. Multum mali in exemplis; magna eorum vis est; minime ibi consistunt, ubi cœperunt, sed quamlibet intenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt. Principis vita communis regula est, ad hanc diriguntur & convertuntur omnium animi, imo ejus vitia imitari, genus obsequii non nunquam putatur, ne aliter vivendo scelus illi suum exprobrare videantur subditi.

In primis autem miles Ducis sui mores imitando facile exprimit, quæque hunc facere videt, eadem sibi quoque permessa arbitrat. Et quis Vestrum in posterum se coerceri æquo animo

C

feret

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

feret, cum Imperatorem viderit à cæde sibi non temperasse? Haud mihi persuadeo tam profani Principis diutius Vos toleraturos esse imperium. Nulla posthac mea apud Vos futura est reverentia, sed cæcam amentiam secuti, positis militaribus studiis, in mutuam ruetis perniciem; nemo erit, qui aut arma induere, stationē & vigiliam servare, aut id, quod militaris muneris aut operis est, lubens facere velit. Nec ego vos continere potero, qui me ipsam non continui. Meo exemplo corrupti, nulla neque legum sanctitas, neque sacramenti fides quicquam valebit ad cohibendam à Vita atque Fortunis vestrum omnium improborum violentiam. Quanto igitur præstabilius est, Vobisque dignius, si opes, si Libertatem, si Imperium vultis à Virtute, Industria, Prudentia, Fortitudine Vestra indubitanter potius petere, quam sub injusto, superbo atque intolerando meo Dominatu incassum sperare? Certe, qui sine me parari hæc posse non putant, dici non potest, quã abjectè, quam non honestè atque indignè de se ipsi sentiant. Quid enim aliud, nisi se inertes, imbecillos, mentis inopes atque consilii, corpore & animo ad servitutem natos profitentur?

Haftenus, fateor, semper mihi præsto fuit fortuna, & perpetuo velut obsecuta, nec indulgendo unquam fatigata; Hæc hæsitanti consilia semper suppeditavit, in pericula vestrum perpetua felicitate protexit, imo à morte ipsa revocavit, ita, ut eam fere divinitus adjunctam & in potestate habere visus sim, sed illa ipsa meis ausis non amplius erit Comes, omnes meos conatus destituet, adversa atque immitis me urgere non desinet. Quippe sine virtute felicitas diuturna non est; neque fortunæ vis sceleratis unquam constanter adest. Novis initiis & auspiciis vobis opus est, nisi Diis omnibus adversis bellum in posterum gerere velitis. Me Duce, propitium Numen vobis promittere non potestis. Auspicium illud, quod imperantibus Vim, Decus, Efficaciam, Vigorem & Successum largiri solet, neque habeo neque sentio. Deorum igitur iram vereamini, quæ si semel exarserit, certo certius imminet exitium. Connivent quidem interdum perversitati hominum: ast præsen-

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

sentis fraudis poenas semper in diem reservant. Neque enim aliud quicquam quam Deorum indignatio ad hoc scelus me impulit, Deorum irâ ad tantum nefas actus sum.

Me infelicem! Quod Libero Patri anniversarium sacrum statuto tempore non fuit redditum, inter vinum & epulas, hæc cædes commissa est nec alia ex fonte mors Clyti fluxit. Quod Deorum cultus neglectus, quod eorum sacris detractum, in extremam hanc raptus sum amentiam, ut Clytum interficerem, & cum illius meam quoque conjungerem perniciem.

Religione constat Vita nostra: mundi anima hæc est, eâ sublata, omnem Virtutem tolli, cunctaque scelere & immanitate compleri necesse est. Regum prudentia inseparabili nexu cum illa cohæret, ita, ut in Sapientia Religio, in Religione Sapientia sit; qua detracta vel ad stultitiam pecudum amissa ratione volvitur, vel ad bestiarum immanitatem prolabimur. Homine nihil truculentius aut immitius, si dempto Superum metu, vim legum aut fallere poterit aut contemnere. Deorum timor est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem Vita omnium sustinetur, munitur, gubernatur. Deorum quoque auspicio prospera nobis eveniunt, si eorum destituamur favore, ac patrocinio, nullum à nobis absit scelus aut infortunium; nulla est acerbitas, quæ nobis non impendeat.

Ut verum autem fatear, Clyte desideratissime, nihil est, quod insanum furorem magis mihi exprobet, quam insignis illa fortitudo, quæ ad Granicum amnem propria salute posthabita, nudo capite dimicantem tuo clypeo texisti, armisque tuis vitam mihi reddidisti. Rhoefacis gladius capiti imminens certo certius mihi attulisset exitium, nisi tu fatalem ictum excepisses manumque hostis ambutasses. Quo sane facto, nullum unquam excogitari potest illustrius aut magnificentius. Sed frustra pristinarum virtutum tuarum memoria animum excrucio & beneficia Tua alta mente.

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

mente teneo, pro quibus adeo malam tibi gratiam retuli. Est animi vere Regii, cui multum debeas, eidem quoque plurimum non tantum velle debere, sed & injurias ejus perferendas existimare. Vix credibilis tantus in ullo furor, ut per quem quis vitam ipsam sit adeptus, ejus meritis, non omnia se debere confiteatur. Solus ALEXANDER æterni beneficii memoriam, tam cito, tam crudeliter deposuit, nec vino tantum, sed & fortuna sua ebrius, illi, qui vitam sibi reddiderat, vitam eripuit. Nihil aliud, Clyte charissime, infelicem Te reddidit, quam amicitia, cum summo Orbis Monarcha, contracta, & quod eo Rege familiariter usus es, qui vel ipsam animam Tibi debebat.

Quid incredibilis illa rerum gestarum magnitudo tibi jam prodest, quæ vel ipsi invidiæ admirationem injecit? Quid in corrupta & infracta illa fides, quam non tantum mihi sed & Philippo Patri semper & ubique præstitisti? Quod præmium auferis pro indefessis tuis laboribus, quos unice ad explendam ambitionem toties suscepisti? Quid lucri ex gravissimis præsentissimisque periculis percipis, quæ præcipitem sæpe circumsteterunt, ut Orbis Imperium mihi assereres & Coronam coronæ adderes? Quam gratiam pro vulneribus, quibus toties pro salute mea confectus accipis? Mortem, non modo obscuram & ignobilem, sed sædam sed festinatam, præcipitatum, indignissimam, fortissimis omnibus acerbissimam, gravissimeque deplorandam. Mortem, inquam, quæ inter convivii hilaritatem vinum sanguine miscuit. Mortem, eò magis horrendam & execrandam, quod inter densissimas nocturni tenebras maturata. Mortem denique, eo magis luctuosam, quanto gloriosiorem egregia atque incomparabilia tua facinora meruerant. Utinam ex omnibus mentibus hoc factum evelli posset, quod non nisi Imperii mei labes, putandum! Utinam funesti hujus convivii dies omnium memoria excidat, & futura tempora illud taceant, ne indigna commemoratione turpitudine nostra appareat; Aut omnino non credat posteritas, me illum occidere potuisse, qui meo mihi spiritu debebat esse carior!

Quam

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

Quam omnium animos jam video attonitos! Nemo me alloqui aut fociare sermonem audet. Ni moriar, vivendum erit in solitudine, velut feræ bestæ, alias terrenti, alias timentî. Nemo posthac meam desiderabit consuetudinem. Nemo veros animi sui sensus mihi repandet; ficta erunt, fucata & simulata omnia. In consiliis suppeditandis veritas, in sententiis ferendis fides deerit. Una omnium contentio posita erit in adulatione, & quomodo blandissime fallant. Multi magis vultum, quam ingenium, bonum præ se ferent. Plurimi anxii & suspensi mutam & servilem assentiendi necessitatem sibi impositam esse putabunt, & ne id quidem, quod vel simulatè dicendum erat, pronuntiabunt. Duces & Præfecti aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habebunt. Milites frontem quidem aperient; ast mentem tegent. Reliquorum omnium fallat Oratio, Vultus, Oculi; nihil fidum aut exploratum habebo, omnibus exosus, nemini amicus ero. Caritate autem & benevolentia meorum sublata, quid in vita jucundum mihi restat, desertam & incultam eam æstimo?

Nullius nequam potentia tanta fuit, quæ sine officiis multorum stare potuerit. Non exercitus, neque thesauri, præsidia Regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio & fide pariuntur. Hos omnes perdidisti; antea meorum amor, nunc terror factus sum.

Me Jovis Filium esse, neque debeo, neque possum credere: mentita sunt oracula: Ad gratiam locuta sunt, vana adulatione animum demulcere, fortunæque meæ tantum blandiri voluerunt. Absimiles partus Superi non edunt, neque a se ipsa degenerat divinitas. Abominandi & venenati serpentum fœtus à generosis Leonibus non proveniunt. Furiarum ortus & nativitas ex inferno est. Impium credere animum ingratum, rem adeo vilem, indignam, & abjectam è cœlo originem trahere potuisse.

D

Si

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

Si nihil tam inhumanum ac ferreum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus sed victus videare, quod iudicium omnes omnium ætatum homines de Clyti morte ferent, qui certissima semper tutela, & præsidium regni mei fuit; qui meam salutem propugnavit, felicitatem auxit, incolumitatem vero suam inter amicos, inter convictum regium tueri non potuit? O horrendam & detestandam ingratae mentis tesseram! postquam famam & officium non amplius sustinere & tueri nequeo.

Hellanicæ, Clyti Sorori eandem quoque gratiam retuli. Hanc fert mercedem tenerrimi in me amoris. Hic est sanguis, quem illi reddo, quod suo sanguine me nutrit, lactanti ubera præbuit, teneram infantiam formavit, primamque educationis meæ curam suscepit. Quæ plusquam materna sollicitudo grata recordatione in mente perpetuo ut versaretur, oportebat. Ejus duo filii apud Miletum pro mea gloria mortem occubere. Hic frater unicum orbitatis ejus solatium, a me inter epulas occisus est. Quo nunc se conferet misera? Unus ego supersum, quem solum æquis oculis videre non poterit. Omnes propinquorum injuriæ difficilius feruntur, & quos antea habuimus charissimos, si temere læserint, acerbissime odimus. Matrum verò benevolentia, semel abrupta, rarò fido affectu coalescit: implacabiles earum offensæ sunt, animam prius quam odium deponunt.

Et ego Servatorum meorum latro revertar in Patriam, ut ne dextram quidem nutrici sine memoria calamitatis ejus offerre possim? Frustra id expectatis amici: nunquam cum tanto flagitio domum redibo. Hic innocentis cædem auctoris poena expiabo. Hic debito supplicio mortem fortissimi Ducis ulciscar. Vos alii hanc purpuram vestisque Regiæ insignia

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

gnia injicite, digniori sceptrum & Diadema tradite. Hac sola ratione vindicabitis vos à Deorum indignatione, à mundi opprobrio, & ab Imperio Tyranni.

Ecquis jam vestrum, Viri Amplissimi, tam obesæ est naris, qvi, unde hæc omnia extiterint non oderetur. Ira, nimirum & ebrietas sunt multorum malorum fontes. Quid dicam de ira? Præceps animus in iram non sistit se ubi vult, aut cum vult, sed qvo non vult, fertur. Et ut fumus aciem oculorum mordace vi perstringens, non permittit ea intueri, quæ ante pedes sunt: ita iracundia omne tollit consilium, pervertit judicium, planeqve hominem sui dissimilem reddit, nec rationis lumen obnubilat solum, sed penitus exstingvit. Eximia est & verè aurea Magni illius Episcopi Hipponensis sententia, Sicut, inquit, vas, in quo acetum asservatur, acescit, & corrumpitur; ita homines ira turbantur, in summam ruentes perniciem. Sed quid de ebrietate? Fomentum est libidinis, venenum sapientiæ, blanda pestis atqve crudele gaudium.

Quam vero vellem A. O. O. H. hanc telam pertexendo, plura in hanc rem dicere, nisi triste illud verbum, ABEUNDUM, mihi esset impedimento. Si enim hoc non ipsa viscera mea penetraret, animumqve moveret: pectus haberem, querno robore & triplici ære circumvallatum. Per integrum jam quinquennium, & quod excedit, hoc illustre lycéum suo me fovit sinu, dulcissimoqve eruditionis lacte educavit. Nunc ad Divinæ voluntatis bene placitum à Viro Generoso, Nobilissimo ac Consultissimo MICHAELÉ VEIT de STRAHLENHEIM, Summi Tribunalis, quod WISMARIÆ est, ASSESORE longe gravissimo ac meritissimo, informator duorum præclarâ indole Adolescentium vocatus, hujus loci Musas relinquere, fundaminibusq; artium liberaliū hîc jaëtis, Colophonē, Deo

propri-

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

propitio, meaque industria comite, istuc addere constitui. Neque autem veluti Mulus, qui saturatus lacte materno, Matrem calcibus petit, abire videar, gratam explicaturus sum mentem. Haud ignarus, quantum sit vitium, beneficiorum oblivisci, eorumque memoriam oblivione delere. Inde Philippus militis, benefactori malam referentis gratiam, fronti, inuri inscribique jussit has literas: **HOSPES INGRATUS.** Tu vero, Benignissime **DEUS**, ne in me tanquam ingratum graviter animadvertas, Tibi pro beneficiis ab incunabilis mihi exhibitis, inprimis, quod ad huc studiis meis clementissime interfueris, tantas ago gratias, quantas lingua præferre, & mens mea concipere potest, maximas. Tulipa flos ille pulcherrimus, & inter omnes insigni varietate colorum admirandus, verno anni tempore ad solis sese radios celeriter ampleque pandit, illis vero sese occultantibus, aut pluvia ingruente, aut tempestate superveniente, statim clauditur ac langvescit. Ut in aliis negotiis, sic quoque in literarum studiis omnes nostri conatus ac labores, vani, inanes ac infelices esse solent, nisi Sol gratiæ suis interveniat radiis. Hinc **CAROLUS GONZAGA** ex nobilissima Familia Ducum Mantuæ ortus appicta Tulipa sibi hoc destinavit Emblema, addito lemmate: **SINE TUIS RADIIS MARCESCO.** Quis igitur Christianorum adeo mente est alienatus, qui, omnibus bonis supernè existentibus, sibi persuadeat, nos Spiritus S. ope ad prosperum rerum nostrarum successum vel puncto temporis carere posse.

*Marcidus ut flos hic languescit, Sole latente:
Cælesti sapimus sic sine Luce nihil.*

Illustra itaque mentem meam Tua benignissima luce, Optime **DEUS**, & porro Te studiorum meorum proram ac puppim præsta, ut ea aliquando ad exoptatam metam felicissimè provehi valeant.

Vobis

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

Vobis vero, Viri Generosi atque Magnifici, fulgentissima Regiæ Astrææ sidera, gratias offero submissas, quod, sepositis aliis gravioribus negotiis, vestra præsentia hunc confessum condecorare dignati sitis, ex animo precans, ut Regium hoc S. S. Justitiæ Domicilium sub perpetua pace vigeat ac floreat! DEUS, DEUS, hoc, tumultus bellicos avertendo, tueatur ac defendeat, clavumque Regii hujus Tribunalis diutius tenendi, feliciter tractandi, amplissima denique vestra munera laudabiliter per incolumitatem obeundi ulteriorem Vobis concedat facultatem!

Et Vobis, Viri Nobilissimi atque Amplissimi, Dni Mæcenates, Patroni, & Directores hujus Scholæ, quorum benevolentiam ab eo usque tempore, quo lycæi hujus limina, ingenii culturam percepturus, intravi, non exiguam persensi; Vobis, inquam, pro vestri copia, hîc jam facta, hujusque Scholæ patrocinio, huc usque summa cum laude suscepto, egregias habeo grates. Vos enim, totius Civitatis saluti studio prospicientes intentissimo, id quoque summâ sollicitudine agitis, ut Viri juventuti huic præfiantur eruditi, incorrupti, graves, quibus & doctrina conciliat autoritatem, & morum comitas benevolentiam. Quapropter exuberantissimæ illa JEHOVÆ benignitas invigilet vitæ ac incolumitati vestræ, ut per quamplurimos annos superstites & integri, Ecclesiæ incrementum, Reip. emolumentum, Athenæi hujus ornamentum graviter curetis, promoveatis feliciter. Postremò constantissimum vestri in me favoris amplexum humiliter ac submisso rogantis desideria, si adhuc benigne audiveritis, vicissim Vobis honoram debitum, obsequium promptum, officiaque mea quælibet ad omnes temporum & factorum nutus paratissima subjiciam.

Nec minus Vobis, Viri Plur: Reverendi, verbi divini præcones, fidelesque rerum sacrarum antistites, gratias habeo atque immortales, quod præsentiam Vestram, attentasque

E

aves

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

aures mihi impertire volueritis. Brevitati studens jam silentio involvam, quantum ex vestris concionibus, tum doctrinæ, tum consolationis perceperim, cum illud vel ex hoc perspicuum, quod nunquam attentè easdem audiendo sim, nec, quamdiu hîc, DEO volente, subsistam, fuero defatigatus. Faxit Cœlestis Majestas, ut porro inter vos conjunctissime viventes, mundo certatim vos oppugnanti, fortissime resistatis: Et alter alterius laboribus favendo, vos invicem contra malevorum contemptum erigatis, utque tandem palmam nobilem atque cœlestia optimorum laborum præmia reportetis.

Converto me jam ad Vos, Clarissimi DNI. PRÆCEPTORES, observantia perpetuo colendi; nondum enim deposui vestrorum in me meritorum memoriam, neque ulla unquam diuturnitate in oblivionem adducetur id, quod ex Vestra fidei informatione ad me manavit. M. Antoninum Imperatorem, legimus, Præceptoribus suis tantum honoris detulisse, ut imagines eorum aureas in sacellis larium habuerit. E diverso de Nerone nihil dici potest sceleratius, quam quod infensus Senecæ, Præceptori suo omnes ad eum opprimendum artes acquisierit. Ego vero, Præceptores Spectatissimi, quorum sinceritatem & minime fucatam in me formando industriam perspexi, ubicunque locorum fuero, in laudes vestras assurgam. Vos, acutissimo illo Quintiliano scribente, alterorum Parentum officio functi, dum per tot annos ductores doctoresque meæ juventutis tam sollicito vos præbuiſtis animo. Parentes vitæ nostræ existunt auctores: Præceptores autem non solum, ut honestam beatamque vitam agamus, sed etiam nobis ut honori, Parentibus gaudio, aliis usui simus, efficiunt. Parentes magnis laboribus opes acquirunt; Præceptores earundem tranquillum, quietum, stabilem nobis usum ostendunt. Nunquam ergo, DEO gratiam largiente, committam, ut ingrati animi nota mihi in-

ura-

ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

uratur. Non Evathli sed Æschinis nomen ac laudes, quoad mortalitatis hanc palæstram inhabitavero, sectabor. Equidem in referenda gratia, ex Hesiodi voluntate imitari debemus agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Cicerone testante, eadem, qua acceperimus, mensura decet referre, aut cumulatori, si id faciendi nobis copia sit relicta. Attamen, quo minus monitis his locum relinquere possim, duo prohibent beneficiorum, videlicet in me collatorum magnitudo & gratiam referendi summa imbecillitas. Prius, levi, quod ajunt, brachio saltem attingentem dies citius deficeret quam oratio. Quid igitur vobis reponam? Sane nihil mihi aliud, quam gratus animus fidelisque meritorum suppetit memoria; imo me ipsum, cum Socrate offerens: quâ pietate Aristotelem Alexander est persecutus, eadem & in vos me futurum sancte promitto ac recipio. Interim quæcunque a vobis in me profecta, Bono DEO largissimè remuneranda, Vosque ipsos, ejusdem præsidio clementer custodiendos, commendo.

Insuper oratio mea omnium à singulis meis Fautoribus mihi præstitorum beneficiorum magnitudinem si in medium jam sit prolatura, nimis excreveret; quæ omnia tacita cogitatione me æstimaturum, sancta memoria conservaturum, adeoque grati hominis officia expleturum esse, publicè testatur facio.



Denique Vos, Ornatissimi Adolescentes, Commilitones mihi charissimi, ac jucundissimi, compellandi estis, quorum mellita consuetudine ita hætenus sum usus, ut stimulum quendam exinde non levem industriæ meæ haberem. Vobis gratias, quantas animo concipere possum, ago maximas, quod eorum in numerum me adgregare non dubitaveritis, quos amore ac benevolentia non vulgari, sed eximia constantique dignos censeatis. Amicitia enim, in Scholis nata, omnium
optima,


ORATIO ALEXANDRI MAGNI.


optima, firmisſimeq; ad ſumam ſenectutem durans, nec divitiis
aut opibus vel ulla alia re diſſolvitur. Id quod Atticus aſſenſu
excipiens cum Q. Gellio Canio, qvem puerum in ludo cogno-
verat, adeo conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia
eorum creverit. O amicitiam omni laude digniſſimam! De
me, veſtra favoris aura tamdiu animo meo medullitus infixæ
hærebit, quamdiu hujus lucis uſura frui datū conceſſumqve
fuerit, de veſtra eadem mente haud dubitans. Quod reliquum,
Supremū Numen vos ſapientiæ ſuæ Spiritu regat, ſtudia veſtra
dirigat, felicisſimoqve ſucceſſu ornet. Plura prohibent dolor
& lachrymæ, quæ jam pectus incipiunt pulſare, & palpebras
irrigare. Valete igitur univerſi, florete, vivite, vi-
gete! Sit vobis laus & retributio JEHOVA!


Valete! Favete!


D I X I.











ORATIO ALEXANDRI MAGNI.

Vobis vero, Viri Generosi atque Magnifici, fulgentissimæ Astrææ sidera, gratias offero submissas, quod, se aliis gravioribus negotiis, vestra præsentia hunc con-
re dignati sitis, ex animo precans, ut Regium
Domicilium sub perpetua pace vigeat ac flo-
EUS, hoc, tumultus bellicos avertendo, tuea-
clavumque Regii hujus Tribunalis diutius te-
actandi, amplissima denique vestra munera
columitatem obeundi ulteriorem Vobis con-

iri Nobilissimi atque Amplissimi, Dni Mæce-
Directores hujus Scholæ, quorum benevolen-
tempore, quo lycæi hujus limina, ingenii cul-
as, intravi, non exiguam persensi; Vobis, in-
copia, hic jam facta, hujusque Scholæ patro-
summa cum laude suscepto, egregias habeo
m, totius Civitatis saluti studio prospicientes
voque summâ sollicitudine agitis, ut Viri ju-
diantur eruditi, incorrupti, graves, quibus &
autoritatem, & morum comitas benevolen-
er exuberantissimæ illa JEHOVÆ benignitas
ncolumitati vestræ, ut per quamplurimos an-
integri, Ecclesiæ incrementum, Reip. emolu-
hujus ornamentum graviter curetis, promo-
ostremò constantissimum vestri in me favoris
iter ac submisse rogantis desideria, si adhuc
s, vicissim Vobis honorem debitum, obsequi-
officiaque mea quælibet ad omnes tem-
nusus paratissima subjeciam.

Vobis, Viri Plur: Reverendi, verbi divini præ-
rerum sacrarum antistites, gratias habeo a-
s, quod præsentiam Vestram, attentasque
E aures

